



**Conciones siue Conceptvs Theologici Ac Prædicabiles R.  
D. Petro Bessæi SS Theol. Doct. Reg. Galliar. Oratoris**

De Sanctorum Festiuitatibus Anni totius, & aliis solemnitatibus - Opvs  
Novvum, Figvris, Allegoriis, Similibvs Ex Sacris profanisq[ue] Scriptoribus  
plenißimum, cum occurentium fidei controuersiam tractatione .... Editio  
Qvinta. Nvnc Demvm Integre Svppletæ, Concionibvs Per Octauam Vener.  
Sacramenti ...

**Besse, Pierre de**

**Coloniae Agrippinae, 1629**

In Festo Pvrificationis B. Mariæ Virginis.

---

---

**Nutzungsbedingungen**


[urn:nbn:de:hbz:466:1-56262](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56262)

fuertis. Exististi nimirum ô lucidum sydus, quod mundi huius mari imperat, in nauigatione hac mea velut cynosura, & nauicula mea sub tuo semper horoscopo hoc in æquore nauigauit, quæ cum modo tam feliciter portum ingrediatur, æquum est, vt tibi etiam ex voto gratias agam, post Deum, vt te honorem, laudem, celebrem, decantem, milleque tibi nominibus maneam deuinctus. O Virgo cõcionantium Dux, Doctorem tutela, Philosophorum magistra, laudum mearum sacrificium benigno hodie vultu accipe, tuisque feruentibus precibus mihi impetra, vt cum totum hoc opus ad illius, cuius tu mater es, gloriam tendat, ipse auctor omni vana gloria exclusa, & agnoscens omnia cælo descendere, suuipius quoque salutem operetur, non vero damnationem incurrat, *Necum aliis, iuxta Apostolum, predicauerit, ipse reprobus efficiatur.*

Nunquam hocce mihi quæso accidat infortunium, sed eam quam alios docui viam insistant, viam scilicet quæ ad æternam beatitudinem conducit, cuius nos, qui omnia nutu suo temperat, & in sæcula sæculorum viuunt DEVS, compotes reddat.

## AD LECTOREM.

*Aduerte, Lector amice, hanc de tribus Regibus Concionem habitam sub Auentus finem, atque eo die, quo Prædicator valedicere, & gratias agere solet Auditoribus suis.*



## IN FESTO PURIFICATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.

## Partitio.

1. De vi & efficacia humilitatis.
2. De virgine purificata.
3. De Simone & compare turturnum.
4. De oblato Iesu.
5. De offerrento matre & Simeonu iubilo.

*Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ. Luc. 2.*

## FIGURA.

CVM Anna, mater illa Samuelis, quæ de numero illustrium veteris Testamenti matronarum fuit, prius sterilis, filium diuinitus impetrasset; obtulit illum Domino, vt seruiret ei in ministerio templi omnibus diebus vitæ suæ; simulque cum oblatione filij, vitulum in gratiarum actionem immolauit. Hodierna porro die videas hic non Annam, sed Mariam matrem Iesu Christi templum ingredientem; quæ concepto præter naturæ ordinem filio, eundem hodie in templum defert, Patri æterno oblatura, atque vna cum oblatione prolis, parturiturum, vt lex præscribebat, offert in sacrificium. Hoc est mysterium, quod totus hodie terrarum orbis demiratur, in eo namque senes cantant, viduæ prophetizant, luminaria resplendent, & cuncta vndequaque musica & cantu perstreperunt. Quare, age, anima, vt rem tam admirabilem pro dignitate dicendo explicare queas, accede ad lucidam illam lampadem, recurre ad splendidum illum mundi solem, qui quidquid est, radiis illustrat, & cuius splendore omnia coruscant. At ne fortassis magnitudo illa luminis & splendoris aciem tibi oculorum præstringat, ac quandam veluti caliginem solares illi radij visui superinducant, ad Lunam potius properandum est, M 3 & prius.

& prius Maria saluanda, cui cum Angelo dicamus:

AVE MARIA.

I. Fuit olim non modica inter tres Persicos purpuratos in arrio Darij Regis contentio, quidnam ex omnibus, quæ in mundo existunt, videretur esse fortissimum. Primus esse dixit vinum, quod summos æque atque infimos, diuites simul & pauperes sibi subiiciat. Cui refragatus secundus asseruit, omnium fortissimū esse Regem, qui quidquid est, vi armorum potentiaque concutiat & percellat; cuius verba instar regum habenda sunt; cuius voluntas decretum; & cuius vel minimus nutus, præceptum. Tertius vero, qui Zorobabél fuisse perhibetur, dixit esse mulierem, at fortiorem his omnibus vnicam esse veritatem: quippe qua nihil in mundo aut fortius, aut potentius inueniri queat; *super omnia autem vincit veritas*. Verum vestra mihi venia, viri Persæ, liceat in hunc disputationis campum ingredi; finite me meū quoque symbolum in medium proferre; nondum, mihi credite, vestrum aliquis scopum tetigit, nemo veritatem adhuc reperit. Equidem fortissimam omnium esse dixerim humilitatem. Illa, illa namque est, quæ Reges potentissimos edocet, diabolos coercet, de Angelis triumphat, Deo arma è manibus eripit, eumque superat, ac deniq; mori cogit.

3. Reg. 20. An non Benadad Regis Syriæ nuntij, vili sacco & cilicio induti, Achab Regem humilitate flexerunt, quem armis superare nequieverant; & eum, qui nihil nisi sanguinem, mortem & exitium præ furore & rabie spirabat, an non hac agendi ratione mansuetum reddiderunt? David in corde contrito in terram prostratus, Angelum, qui ferro & gladio in populum crudelissime sæuiebat, exarmauit. Iob sedens in fimo, seseque deiciens, satanam insultantem deuicit & prostrauit. Impius Rex Achab sese coram Domino humilians, eidem multa mala interminanti, arma violenter quodammodo è manibus eripuit. An

Humilitas  
omniū fortis-  
sima.

3. Reg. 20.

2. Reg. 24.

3. Reg. 12.

non & te, ô Deus meus! eadem illa humilitas mori cœgit, de quo scribitur: *Humilitas uic semetipsum factus obediens usque ad mortem*. O vere admiranda trophæa! Nihil est ô humilitas, quod cum tua fortitudine aut potentia queat comparari. Quæ admodum enim ipsum zero, aut nullo, quod vocant, Arithmeticoꝝ, ex se nullum prorsus constituit numerum, at alijs numeris appositum eos facit deos, videnos, centenos, imo & millenos. Ita quoque & ipsa ex te quidem nihil es, instar zero; verum ubi te operibus nostris semel accedere contigerit, mox ijs pondus & pretium incomparabile addis. hinc ait Apostolus, *Pondus humilitatis nostræ*. tu quippe eadem præter naturam recta ad cælum subleuas, vt vitam æternam promerentur.

Non ineleganter sane crinibus Samsou *ludic. 19.* nis etiam comparari possit humilitas: omnis fortitudo & robur inuicti illius ducis, si forte meministis, quibus Philisthæos expugnabat, in crinibus sita erant; quibus tamen nihil est in homine, aut vilius, aut imbecillius. Ita quoque omnis animæ nostræ potentia & virtus, qua demones expugnamus, & sternimus, in sola humilitate sita est, cum nihil tamen in mundo, aut contemptum æque aut abiectum. David adolescens, armis & lorica regia grauatius potius, quam indutus, ingentem illam molem, spurium illum gigantem non potuit expugnare, & Saulis gener fieri; verum inermis penitus in aciem procedens, sola funda & lapidibus armatus, pastorio amictus habitu, & Goliath superauit, & gener Regis factus est. Fuit hoc, Auditores, fuit insigne huiusce humilitatis præsagium, præsagium inquam, è quo liquido appareat, nos armis & insignibus mundanis indutos, superbia se, vanitate, & ambitione infernales illos gigantes minime vel oppugnare, vel expugnare, aut etiam filios Dei fieri posse, verum humilitatis armis circumdatos, vtrumque facile nulloque negotio consecuturos.

O sancta & diuina humilitas! etiam sublimius multo te efferam, & maiori te etiam præconio celebrabo: te namque sentiunt

tiunt fulmina, ignes, tempestates & tonitrua. Etenim feri ut plurimum, sicuti olim cecinit Horatius, *summos fulmina montes, & celsa graviore casu decidunt turres*; valles autem camporumque planities intacta relinquuntur. Ad eundem plane modum, diuinorum iudiciorum fulmina, sublimia illa superborum capita (qui mundi huius montes fastigiaque vere nominari possunt) frequentissime feriunt, humiles autem & dimisise de seipsis sentientes, intactos prætereunt.

Præclarum  
veteris Phi-  
losophia-  
pophæeg.

Luc. 1.

Psal. 137.

Iac. 4.

Mira succi-  
ni natura.

Scalig. exer.

140. nu. 12.

Atque hoc ipsum est, quod insignis ille Philosophus Æsopos olim petenti, quid super æthereos orbes Iupiter ageret, respondit *Excelsus*, inquit, *humiliat, & extollit humilia*. Haussisti id forsitan sacris è libris Æsopæ, in quibus scriptum legimus, *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles*. Item: *Excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longe connoicit*. Et alio loco: *Superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam*.

Succinum, rerum naturalium scriptores omnia festucarum genera ad se attrahere perhibent, excepto Basilico, herba scilicet, quæ Capitalis vulgo nominatur, quæ caput & cerebrum fumosis exhalationibus oppletere consuevit. Succinum dicere poterimus *DEVM*, nos ipsos vero festucas: trahit nos quidem supernaturale illud succinum ad se, suaque dona, virtutes thesaurosque gratiarum omnibus communicat, ac veluti prodigit, non tamen superbis, qui sunt instar Basilici huius, quique caput inanibus ambitionis, prauorum affectuum, vanitatum inanumque desideriorum fumis oppletum habent.

Parabola  
veteris a-  
nachoretæ.

Narrat Onuphrius vetus ille Anachoretæ parabolam, quæ huic rei optime visa est quadrare: Arbores scilicet olim de feritate hominum, quotidie sese amputantium, & ne altius excreverent, impediuntium, expostulantes, concilium inter se coegisse, quo ratio aliqua statueretur, qua huic malo remedium adhiberi, atque huic feritati occurrere in tempore, opportunèque posset. Cum iam omnium sententiæ rogarentur, & quid quæque faciendum decreuisset, exquireretur, ecce tibi aliquam è sublimi autantibus cedris Libani, velut cæteris emi-

nentiozem assurgere, communique omnium voce demonstrare, nullum ad hominum feritatem impediendam, & res suas in tuto collocandas, præstantius remedium excogitari aut suggeri posse, quam si arbores omnes communi voluntate ligna denegerent, è quibus manubria securum edolerentur: cum enim illæ manubrijs caruerint, arbores ab hominibus non amplius amputandas. Audita est hæc cum silentio & stupore vniuersarum: illis autem ob tam inexpectatum consilium in admirationem raptis, ecce tibi ex angulo adrepentem exiguum quendam rubum, qui in locis humilibus dumosisque succreuerat, quique silentium indicendo, audiri postulabat:

Ne pergite, inquit, ulterius è sociæ; neque enim tam è re nostra hocce cedri consilium, quam fortasse arbitramini: nam ab hominibus quidem secure esse poterimus, securibus manubrio iam carentibus: at à fulmine rutæ quomodo erimus? Non est, mihi credite, melior aut præstantior, ad libertatem nostram obrinendam, nos ipsas ab hominum violentia defendendas, homines simul & cœlum eludendum ratio, quam non adeo sublimè crescendo caput efferre, at per terram potius serpere. Diuinum plane consilium, quod animabus nostris optime conueniat, ipsæ namque sunt plantæ, plantatæ in domo *Isa. 33. Domini, in atrius domus Dei nostri*: dæmones eam amputant & sciunt, nec non omni ratione destruunt & euellunt. Ad hanc itaque rabiem, ad hanc veritatem immanitatemque superandam vnicum profecto consilium est, non adeo sublimè excrecere, aut sese superbiendo efferre, at humilia potius vbique sectari. Videlicet hoc ipsum est, quod in Evangelio toties Dominus consiluit: *Disite à Mat. 23. me, quia mitis sum, & humilis corde*. Discite à *Aug. serm. me, ut explicat Augustinus, non mundos è 10 de verb. Dom. nihilo creare, non mortuos ad vitam reuocare, miracula patrare, sed humilitatem toto animo amplecti.*

Ideo autem humile hoc & exiguum de humilitate loquens fundamentum posui, quod hodiernæ dici Evangelium nihil nisi humilitatem spiret: videbitis namque hic duo insignia humilitatis exempla, qualia auda-

audacter dixerō, in mundo nunquam vi-  
la aut audita, vnum in matre, & alterum  
in filio. Mater ipsa purior, mundior, imo  
perfectior angelis, sese legi Purificationis,  
ac si de numero immundarum fuisset, subij-  
cit. O admirabilem humilitatem! filius  
autem legislator, & conditor, lege omni su-  
perior, legem seruat, finit se offerri, & vt  
mancipium diuendi. O duplicem humili-  
tatem! *Postquam impleti sunt dies Purga-  
tionis Mariae.* Primo vero de humilitate ma-  
tris, ac deinde filij eius Iesu Christi verba fa-  
ciemus.

Luc. 2.

II.

Psal. 44.

3. Reg. 10.

Figura,  
quibus in-  
troitus Vir-  
ginis in tē-  
plum de-  
claratur.  
Prou. 31.

Quod ad primum quidem spectat: Con-  
templor hic in limine Euangelij Virginem  
expleto quadraginta dierum tempore, quos  
in stabulo Bertheemiteico permanerat, tem-  
plum Hierosolymis intrantem, dilectum fi-  
lium, *speciosum forma praesens hominum,*  
vltis gestantem, quo eundem Deo praesen-  
taret, & sacrificium simul ad purificatio-  
nem offerret. Memineritis oportet, Au-  
ditores, inter ceteras leges caeremoniales  
Iudaeorum & legem fuisse de foeminis,  
quae peperissent; vt nimirum ea, quae mas-  
culum peperisset, septem diebus homi-  
num consortio abstineret; eo quippe tempo-  
re immunda habebatur; & octauo deinde  
die circumcideretur infans, ipsa vero trigin-  
ta tribus diebus domo maneret inclusa, nec  
sanctuarium intraret, donec implerentur di-  
es purificationis. Quo tempore euoluto, fi-  
lium ad templum portabat, ac sacrificium  
Deo pro se offerebat. Lex exstat Leuitici 12.  
capite: *Mulier quae suscepto semine peperit mas-  
culum.*

Gloriosa igitur Virgo huic sese legi vltro  
subiciens, cum iam quadraginta e beato  
suo partu dies templo abstinuerit, hodie-  
na die templum, hostiam pro purificatione  
sua oblatura, ingressa est. Hodie potens il-  
la Regina Saba, de longinquis regionibus ve-  
niens, post omnes Prophetas scilicet, post  
Patriarchas, post Reges Iuda, intrauit pala-  
tium Salomonis, omni diuitiarum & aro-  
matum genere onusta, *filia quidem multa  
congregauerunt sibi diuitias, at tu* Reginarum  
filia, ac filiarum Reginae, deferens pretiosam  
illam margaritam Euangelicam, Redempto-

rem scilicet mundi Iesum Christum, *super-  
gressa es vniuersas.* Hodie scilicet plenitudo  
illa Luna, quae quadraginta dierum spatio  
veluti eclipsi quadam laborans, inter paleas,  
in stabulo, ad praesepe Bertheemiteicum, ob-  
scura delituerat, completam sese iam & per-  
fectam in medio templi demonstrat. Ho-  
die Arca illa foederis, quae tanto tempore in  
castris sub tentorijs & papilionibus inter Phi-  
listaeos habitauerat, in tugurio inquam &  
stabulo, interque animalia ad templum Sa-  
lomonis delata est, & super alas Cherubim  
collocata.

Agite nunc animae, animae inquam  
sanctae, comitemini Virginem ad tem-  
plum properantem, pijs deuotionis passi-  
bus eam stipantes. Videte obsecro, quanta  
humilitate, quantaque paupertate fili-  
um, suumque simul conditorem vltis ge-  
stet, considerate, inquam, attentius, & ad  
incomparabilem illam animae submissio-  
nem, voluntariamque illam purificationem  
defixi obstruiscite. Non aliter legi se sub-  
ijcit, ac si de numero immundarum foret,  
quae nullam tamen ex partu maculam con-  
traxerat.

Quid agis, o virgo, o nimium humilis  
virgo? quid cogitas? tene hisce legibus sub-  
ijci? tene foeminis peccatoribus commisce-  
ri? Michol quidem filia Regis, petulantia  
quadam muliebri, Dauid Regi indumentis  
regalibus exuto, ac plebi commisso, ante Ar-  
cam Domini saltitanti insultauit. at Synago-  
ga, subannans nimirum illa Michol, longe  
maiore cum ratione te exhibilare poterit,  
vbi te vestimentis regijs innocentiae & iu-  
stitiae indutam, ab alijs mulieribus non  
viderit discrepare, seruando scilicet puri-  
ficationem & sacrificium coram Arca fe-  
deris, nempe humanitatem filij tui offe-  
rendo.

Tradunt Auctores, o virgo beatissima, *Sueton. in  
Augusto.* Iuliam Augusti Caesaris filiam, cum quo-  
dam tempore admonita fuisset, vt fastum  
deponeret, superbiam exueret; ac fucum  
mundumque muliebrem eliminaret, patrem  
quippe intolerabilem illum ornatum diu-  
tius ferre non posse, magna proteruita & ar-  
rogantia respondiisse: Pater non amplius  
memi-

meminit se Cæsarem esse, cuius nutum totus orbis veneratur: at ego memini me Cæsaris filiam, ac proinde primam omnium, quæ in mundo sunt reginarum: quate æquum est, ut quæ sim, exterius quoque demonstrarem. At tu, virgo beatissima, infinitis partibus Iuliam hanc & nobilitate, & dignitate antecellis; fuit illa quidem Cæsaris filia, tu vero mater & sponsa Dei.

Virg. 1. En.

quæ diuum incedis Regina Deique  
Et soror & coniux.

Atque hæc cum ita sint, filius tamen tuus se circumcissioni ut peccator, & tu te purificationi ut peccatrix subiicis. Ille se Deum esse oblitus est, & tu te Dei matrem. *Vere tibi, ô Virgo, ait præclare D. Bernardus, non opus fuit purificatione, sed nunquid filio tuo circumcissione?*

Nunquid, ô superbiens anima, ad tantæ submissionis intuitum erubescis? tu, quæ nihil es, & merum nihil, te te effers, iactas, & cælo caput conaris inferre: & ecce, Virgo hæc, quæ omnibus præcellit, demittit se, humiliat se, & usque ad infimum sese deicit? Tu quæ peccatis es immersa, & quotidie clamitas, *Et in peccatis concepit me mater mea, superbis, & ecce, quæ sine vlla est macula, de qua totus orbis canit, Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te, se vilissimam facit.*

Psal. 50.

Obstupro humilitatem tuam ô vere beata, & millies beata Virgo, laudo & deprædico pietatem, sed offendit me non nihil isthæc tua purificatio, faciant hoc filia Adam, faciant id mulieres immundæ, faciant hoc sœminæ peccatrices: te vero Reginam Angelorum, Matrem Dei, imo ipsam puritatem hocce facere, præter omnem rationem est. Nullo vnquam peccati næuo aut venialis, mortalis, etiam originalis, animam ô Virgo coinquinasti: quid ergo tibi cum hac purificatione? Vixisti semper instar Salamandræ inter flammam peccatorum perpetuo versata, & tamen absque vstulatione à peccatis vel minima, ad quid igitur hæc purificatio? Fuiisti semper viridis sacra illa laurus, æternam no dedicata numini, quæ nullo vnquam peccati fulgure vel minimum tacta est: ad quid igitur hæc purificatio? Fuiisti arcæ illa

Bessaisom. 3. De Sanctis,

Noe, arcæ scilicet Iesu Christi, quæ super vndas diluuii originalis semper natitavit, nec vnquam in peccatorum oceano naufragium passa est: quid ergo necesse fuit purificari?

Quam bene de te ô Virgo, dilectus tuus dixit, *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*; cum te liliis semper cadentibus, cæteras vero filias spinis pungentibus assimilat, aperte demonstravit, cæteras creaturas rubos esse, quarum peccata spinarum instar pungant: te autem solum lilium esse, quod instar niuis semper cander, iucundum semper odorem spirat, in medio spinarum illæsum manet: & quod, paucis ut dicam, in medio peccatorum sine peccato perseverat. Insigne plane hoc est encomium. Quid igitur tibi purificatione opus est?

Stellæ & sidera, quæ in firmamento defixa sunt, nunquam eclipsim patiuntur. Tu autem ô Virgo, hocce es firmamentum virtutis diuinæ, de quo olim regius cecinit vates: *Laudate eum in firmamento virtutis eius*: cuius virtutem & splendorem peccata nunquã obscurare potuerunt. Ipsa enim olim aliquãdo dixisti: *Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram*. Per quas abyssos mortem, peccatum, damnationemque æternam denotabas. Ante hæc omnia tu eras concepta, & tamen absque macula, & peccati næuo cum sis, purificari postulas?

Psal. 130.

Prou. 8.

Quid vero ô Simeon, tu qui doctorum es sacerdos & doctor sacerdotum & legis, hodierna die Virginem hanc legi tuæ subiicis? Quomodo communem cæteris mulieribus sortem eam subire cogis? An ignoras lege hæc Virginem nostram non comprehendi: loquitur illa de conceptione secundum communem naturæ ordinem, & qua semper reliquæ mulieres concipere consueverunt: at talis Virginis nostræ conceptio non fuit: utpote quæ nec suscepto semine, nec quæ commixtionem virilem, sed spiritu S. cooperante mater facta est. Omnia namque in illa præter naturæ ordinem, noua quadam ratione, mirabili & diuino quodam modo, contigerunt. An non etiam meministi, ô sacerdos & Pontifex, figurarum, per quas Prophetæ illi tui nostram hanc Virginem

N

ginem

Figuræ quæ  
declarent  
Virginem  
à peccatis  
semper im-  
munem vi-  
xisse.

ginam præsignarunt? Equidem tibi eas, si forsitan effluxissent, in memoriam reducam.

II. Præcepit olim Deus Moyfi, vt arcam de lignis incorruptilibus fabricaret, ac mundissimo eam intus & foris auro circumuestiret. Hic, hic porro vides arcam è corpore & anima peccato corruptionique minime obnoxii compactam, caritate circumundique coopertam: & audebisne illam legi purificationis includere? Salomon thronum construxit eburneum, grandem nimis, eamque auro splendidissimo vestiuit, cui, vt sacræ literæ perhibent, nihil toto terrarum orbe simile vnquam exiit, aperi iam oculos tuos Simeon, & contemplare magnificum hunc thronum non Regis Salomonis, sed Regis Regum Iesu Christi, non aliunde quam ex ebore puritatis, virginitatis & innocentie compactum: cui simile nihil orbis vnquam vidit: *Nec primam via est similem, nec habere sequentem*: interea tamen eam legibus & caeremoniis tuis audes comprehendere, Anæ oblitus es magnum illum Orientis Monarcham Assuerum decreto quodam publico omnes virgines & puellas formæ speciosas per vniuersas regni sui prouincias conquiri iussisse, atque inter ceteras puellam Esther, decoram facie, & pulchram nimis, de stirpe Israel, à Mardocheo annunculo diligentissime educatam, ad Regem perductam fuisse; cuius pulchritudo & venustas adeo Regi placuit, vt gratia in eius conspectu inuenta, ab eo in vxorem adoptata fuerit, eiusque capiti diadema regni impo- fuerit: inque eius gratiam & Mardocheum à morte & omnem populum Iudaicum ab internecione liberarit. Ecce tibi hic eam ipsam, Propheta sanctissime, quam figura præsignauit; contemplare formosam hanc Esther, quæ inter omnes filias, quotquot à mundi primordio hæcenus fuere, ita oculis diuini illius, illius veri & æterni Assueri, sola complacuit, vt eam ipsam in sponsam ac reginam adoptarit. Erit, erit eadem illa, quæ hominem perditum, alterum scilicet Mardocheum & naturam humanam, id est, eius populum, ab interitu vindicabit: & tu ab illa

2. Th. 2.

ipsa è Simeon; purificationis debitum audes deposcere?

Non est porro, Auditores, his ita rapi necesse, quin animos vestros ad noua adhuc & maiora etiam audienda præparetis: iam enim alia, & nondum audita humilitatis opera, quæ virgo nostra præstitit, declarabo. Cum iam illa templum intrasset (quia lege decretum erat, vt ditiores agnum anniu- lum in sacrificium offerrent, pauperes vero duos turtures, aut duos pullos columbarum) ipsa, quæ paupertatis erat studiosissima, de pauperum numero sese reputans, duos turtures in sacrificium obtulit. Quid agis, è Virgo? an hoc sacrificium te dignum, dignum Filio, & dignum Deo? vbi iam thus illud est, vbi illa myrtha, vbi denique aurum illud, quod tibi ad præsepe Magi obtulerunt? Dedit è Virgo centum talenta Anaxarcho Philosopho Alexander Macedo, ob id solum, quod Alexander esset: Hecatombas diis obtulit Pythagoras, vnica tantum figura Mathematica inuenta: Salomon vnus è maioribus tuis ipsa dedicationis templi festiuitate immolauit Domino bouum viginti duo milia, & ouium centum viginti milia: & tu in tam felici & festiuo omine, in oblatione, inquam, primogeniti tui, Mater Dei cum sis, par turturum offeres? è rem nouam & inauditam! è insigne miraculum! è humilem inopiam! è inopem humilitatem!

3. Reg. 8.

Vos porro turtures quid denotatis? non ignoro turtures à casta turture offerre debere: scio etiam agnos & bestias terræ ab hominibus terrenis immolari: at prolem celestem & diuinam animalia decebant celestia, & huiusmodi ei quadabant turtures. *Psal. 112.*

Quin & alia non mediocria mysteria denotatis auiculæ: tu modo reuola oculos meos Domine, & considerabo mirabilia de lege tua. Quando enim vos, è casti turtures, à Virgine ad sui purificationem oblatos considero, statim mihi connexionem illam duarum in vna hypostasi naturarum, quas Virgo in vtero gestauit, vt in arbore crucis ac scelerum nostrorum expiationem, & totius mundi redemptionem offererentur, in memoriam reuocatis. Quin & pulchræ illius Rebeccæ, quæ geminos vno conuulsit utero, me-

Gen. 27.

Luc. 13.

memoriam

memoriam refrigeratis: ac mihi statim in mentem reducit, hanc esse pauperem illam viduam, quæ duobus oculis, hoc est, duabus naturis in Gazophylaciū templi coniectis, magis laudata est, quā potentes illæ feminæ magnas opes thesaurorum offerentes. Quin & amplius significatis; etiam hic terram illam promissionis adesse, in qua tandem aliquando præclarus ille & ingens redemptionis nostræ botrus colligeretur, quem in vete duo viri, hoc est, naturæ, humeris portauerunt, botrus inquam, qui crucis postea torculari exprimens immensū pretii nectar exudabat. Ite vos nunc tures, iam enim multis mihi mysteria aperuistis: iam tempus est, ut hinc vos auoletis, & ego me ad alterum concionis membrum conuertam.

## IV.

Lex anti-  
qua de pri-  
mogenitis.  
Exod. 12.

Altera quoque apud Iudæos lex erat, ut omne primogenitum Deo offerretur & consecraretur, cuius legis verba Exodi 13. scripta reperiuntur, *Sanctifica mihi omne primogenitum tam de hominibus quam de iumentis, &c.* Inde porro lex ortum habuit, quod scilicet Angelo vna nocte omnes Ægyptiorum primogenitos percutiente, soli Hebræorum, diuino beneficio immunes seruati sunt. Itaq; Christus mundi, ut gallice dicam, Delphinus, Mariæ & omnium creaturarum primogenitus, ut Paulus eum vocat, non aliter huic sese legi voluit subicere, quam mater legi puerperarum; atq; ideo eum mater hodie in templum Deo Patri eundē oblaturo portauit.

Ephes. 1.

Iesu bone, decus & princeps humilium, an non satis est & plusquam satis est, te hominem nostri causa factum esse? in paupertate natum, in stabulo loco palatii commoratum, in præsepi loco conopœi reclinarum, & ipsa animalia profocis & domesticis tuis habuisse? denique in illa tua tenella ætate humi recubuisse? an non hoc inquam satis est? anne hæc adhuc oblatio facienda restabat? Anne hoc vnum tibi ad præceptum adimplendum deerat? Peccatum est, seruum est, mancipiorum est, hisce collum legibus subicere, non qualem te reuera confitemur, filii Dei. O felix oblatio! ter & amplius beata presentatio! sume animos tam peccator, & tu, & munde: ecce vobis hic victimam, quæ olim in monte Caluarie immolanda

Gen. 22.

est. Quantum putatis fuit gaudium Isaac, cum gladio iam ceruicibus imminere, morte iam vicina, arcerem vidit inter vepres cornibus hærentem, qui in eius locum sacrificio subiiceretur? At quantum nunc tuum gaudium sit oportet, & peccator, cum sub sanguine diuinæ iustitiæ gladio capiti, vitæq; tuæ minirante curuatus, prodeunte hodie vepribus humilitatis nostræ agnum sine macula vides, qui pro reo iuguletur & immoletur?

Scitis Auditores, duo in lege vetere sacrificiorum genera fuisse, vnum matutinum, vespertinum alterum, quod vtrumq; hic videtis offerri: matutinum scilicet in oblatione pueri Iesu, alterum vero circa vitæ eius vespere in Iesu, alterum vero circa vitæ eius vespere in ara crucis peragetur. O quantum inter hæc sacrificia discrimen est, & Virgo, quantaq; differentia! Hodie filium in medio templi cum gaudio, iubilis, & canticis offers: & ecce post triginta trium annorum spatium in medio montis Caluarie, ærumnis, tormentis, opprobriisq; saturatum, immolatum conspicias. Hic illum vltis iusti Simeonis stringi vides, tunc cum in lateribus crucis distentum & extentum videbis. Hic cum quinq; argenti siclis redimis, illic ipse quinq; vulneribus sanguinum riuos stillantibus totum mundum redempturus est. Cuius quidem doloris hoc tibi loco senex hic initium dedit dicens: *Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit.* Deus bone, quam crudeles hæc sunt minæ, & quam tristia præfagia! hisce tu tamen ne minimum moueris: in quo te Agrippinæ Domitii Neronis matri non ab similem ausim dicere, quæ superba ut quæ maxime, & magnitudinis filii sui nimium quatum sitiens, cum oraculum consulisset, num aliquando filius imperium esset aditurus: eiq; oraculo Deus respondisset, regnaturum quidem, sed in Imperio matrem necaturum, tumore cæca, & auida diadematis, statim subiecit: *Occidat, modo imperet.* materno scil. sanguine manus foedentur, modo caput eius diademate cingatur. Ad eundem plane modum, cum oraculum illud Propheticum Simeon, tibi vaticinans, prænuuntiat filium tuum, non Neronem illum sanguinolentum, sed mitissimum Iesum Christum toto-

Num. 28.

Luc. 8.  
Suet. in Ner.  
ron.



quidem terrarum orbe regnaturum, sed eius durante imperio, animam tuam doloris gladio (mille inquam vulnibus) transfigendam, inclamare mihi, velut altera Agrippina videris, *Occidat, modo imperes*: mille ego gladiis transfodiar, mille mortis generibus vita mihi auferatur, modo Iesus filius, & Deus meus rex sit, saluator sit, denique totius orbis redemptor sit.

V.

Ecce tibi, pater æternæ, hic oblationem, qualis tibi nunquam ab vilo hominum à toto retro sæculis oblata fuit, Contemplare hic victimam, in qua tibi bene complacuit, & ad quam totus terrarum orbis à tot annorum millibus anhelauit. Non videbis hic amplius dona Abelis, non oblationes Abraham, tuus hic iam filius primogenitus, filius, videlicet sanctissimæ Virginis, offertur; non delectaris altaribus fumantibus, non holocaustis bouum, non immolatione taurorum aut otiuum, atq; ideo nouum hic sacrificii genus, diuinum plane, omnino admirabile, contemplare, oblationem & holocaustum pro peccato non posuisti: tunc dixi, *Ecce venio*. Nihil igitur cælo gratius nostra offerre potuit humilitas, aut nihil patri æterno desiderabilius.

Psal. 30.

Matth. 30.

Refertur in Euang. historia, quæ hac abs re non erit admodum aliena. Herodes propter implacabile, quo in Christum ferebatur, odium, omnes pueros, qui erant in Iudæa, & omnibus terminis eius, occidit, vt hac misera infantium strage, innocentem simul Iesum inuolueret. Rex quoque ille æternus Deus, scilicet Pater, propter immentum, quo filium prosequeretur amorem, in veteri testamento omne sibi primogenitum præceperat offerri, vt inter tot primogenitorum oblationes dilectus quoque filius semel offerendus accederet. Hodie igitur, Pater æternæ, sopientur ignes tui, tua hodie ira subsidet, hodie iudicia tua tandem finem accipient, paradisi hodie portæ referabuntur, hodie mundus coram oculis Maiestatis tuæ gratiam inueniet, quæ diluuii cessabunt, hodie denique vincula captiuitatis nostræ dissoluentur, & omnes in libertatem vindicabimur. En tibi hic pignus, quod offerimus, en tibi satisfactionem nostram: paruulus hic pro toto mundo præstat yadimonium, hanc

tibi hodie Virgo in redemptionem pro vniuerso mundo offert & donat.

Prudens illa Abigail, cognoscens Dauidem, in Nabal coniugem grauiter commotum, ad omnem eius substantiam perdendam cum omnibus suis copiis descendisse, illi obuiam processit, oblatisque cibariis & comæatu humanis eum verbis allocuta est, dicens: *Suscipe benedictionem hanc, quam attulit ancillatua tibi Domino meo*, qua re illa emolliuit iratum, adeo vt rex suipius victor iracundiam cohibens, harum se iniuriarum memorem nunquam fore iurauerit. Proh dolor! Maior sane fuit ira magni illius Dauidis, Patris scilicet æterni in stolidum illum & vecordem Nabal, hominem scilicet, & totum mortale genus: quotidie namque iras suas iudiciaque sua & vindictas in eum de cælo denotabat. At accurrit ei hodie Abigail nostra, offert ei panem Angelorum, offert ei proprium & vniueritum filium: itaque cum demulcer, vt eum exarmarit, veterumque iniuriarum immemorem penitus reddiderit.

Gen. 33.

Agrestis ille & barbarus Esau, cum quadringentis equitibus contra fratrem suum Iacob, ad iniuriam, quæ iam à viginti annis illi facta fuerat, vindicandam descendens, statim ac faciem Rachelis paruulum suum Ioseph ei monstrantis, & manu scalam mariti sui Iacob offerentis conspexit, emolliuitur est, & cum fratre suo in gratiam rediit. Audeamne, ô Pater æternæ, te barbaro Esau assimulare? Verissimum quidem est accinctum te iustitia, stipatum suppliciis, valatum flagellis ad puniendum aduersus miserum Iacob, hominem scilicet descendisse, vt iniuriam, quam tibi olim in paradiso deliciarum irrogauerat, hac ratione castigares: at conspecta hodie speciosa nostra Rachele, filium suum Iesum vna cum munusculis, id est, lachrymis, suspiriis, & penitentis miseri huius Iacob, id est, homine offerente, coactus es arma deponere, eundem amplexari, gratiam elargiri, & quidquid prius in te commissum erat, magna animi benignitate remittere. Quantum igitur debes, ô anima Virgini, filium hodie suum pro te Patri offerenti? quid porro Patri æterno cum ad

Exod. 4.

te redimendum offerenti in cruce: Exemplum est in Exodo, quod huic rei illustranda non parum facit, cum Deus Moſen in via interficere decreuiſſet, quod præceptis Domini non uſq; adeo prompte, ut par erat, obſecutus eſſet: vxor eius Sēphora his auditis, filium ſuum conſeſtim circumcidit, ut maritum morti eriperet, diuinamq; ultionem auerteret: quibus peractis ait Moſi, *Sponſus sanguinum tu mihi es*: ac dicere uoluiſſet: Moſes, ſi me diligere teneris, quod tua ſim coniux, iam quidem multo magis, quod ad uitæ conſeruationem proprii filij mei ſanguinem effuderim. Age iam anima, hic cogitationes tuas deſigito, de his meditationem inſtitue: ſi Deo ſcilicet cultum exhibere teneris, atq; eum perfecte diligere, quod tuus ſit ſponſus, tuus Pater, tuus Deus, & creator tuus: multo quidem magis, quod ſanguinem vnigeniti filij ſui pro te effuderit, quod eum cruci, ſupplicij, morti deniq; ipſi pro peccatis tuis ſubiecerit. Quis quaſo tuus ille amor eſt, cui omnia hæc ueluti pro meritis impendantur? quanam tua gratia? quanam merita?

1. Paral. 9.  
3. Reg. 9.

Relictis porro, Auditores, omnibus hiſce figuris uideamus, quid hodie in templo peractum ſit. Olim quidem Arca fœderis in templo collocata, ornamentis decorata, ac maiestate Domini & gloria repleta fuit: at hodie res longe ſublimior accidit. Intranſe quoque olim arca domum Domini, omnia cantu & organis perſonabant, atque ipſa omni instrumentorum genere & hymnis in locum ſuum deducta eſt, at hodie præclara hæc Arca humanitatis Jeſu templum intrante, longe ſuauior & iucundior auditur concentus: nihil niſi prophetiæ, niſi laudes, & mirabilia vnde quaq; audiuntur: An non uideatis octoginta annorum uiduam, honorem & obſequium nato Meſſiæ exhibentem? an non auditis veneranda canitie decorum Simeonem, redemptorem mûdi vlnis cōſtringentem, iubilo & canticis exultantem, interque lachrymas & gaudia diuinum illud canticum modulantem? *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundum uerbum tuum in pace.* Ecce uobis nouum hic Athlātem, brachijs ſuis illum geſtāntem, qui humeris potentia ſua vniuerſam terræ molem ſuſtentat. Ecce

Luc. 2.

vobis hic cygnum iucando carmine mortem ſuam prænuntiantem.

O quanto gaudio, quanta lætitia, quantaque iucunditate affectum magnum illum Patriarcham Jacob iam grādrum putatis, ubi filium ſuum Joſeph, quem uelut mortuum diu eluxerat, uiuere, & dominari in tota terra Egypti intellexit? tanto quidem gaudio dicitur delibutus, ut ſuper colium eius irruens, & plenis vlnis ſtringens, dixerit cum lachrymis: *Iam lætus moriar, quia uidi faciem tuam, & ſuperſtitem te relinquo.* Quid faciet igitur venerabilis hic Simeon, vlnis eum amplexans, cuius nutum omnis terrarum orbis pertimeſcit; qui in hæc tandem uerba prorupit: Veniſti tandem o captiuorum Redemptor, peccatorum Saluator, mortuorum uita, ſalus & iubilus totius mundi. Hactenus in ærumnis uitam egi, & amaritudine deduxi canos meos expectans ſemper & ſperans, uehementer pro redemptione Iſrael ſollicitus, nunc uero dimittis ſeruum tuum, iam ſollicitudine mea liberatus, lætus iam & conſolatione repletus, dies meos ſciam, cupio iam diſſolui uinculis huius, ut tam iucundi, tamq; expectati apud inferos nuntij baiulus eſſe queam. Nunc igitur dimitte ſeruum tuum Domine.

Fateor, bone Jeſu, fateor, cœlum & terram, purgatorium & limbum, totum deniq; orbem in aduentu tuo exultare: at uero iam multo magis in hac oblatione, qua æterno Patri oblatus es, exultabunt, è qua præſagire licet, te pro mundi redemptione in arbore crucis aliquando offerendum: in qua pro tota humana natura perſolues. Sanguis tuus pretioſus erit aurum, Caluarie mons locus rationum, in quo hocce pretium perſoluetur. Nunc igitur dimittis ſeruos tuos in pace, o lux hominum! iam læti morimur, certi nimirum portas cœli, quæ hactenus clauſæ fuere, patentes iam nobis & apertas fore, ut gloria cœleſti vna cum glorioſiſſima Virgine matre tua perfruamur, cuius nos compotes reddant, Pater & Filius, & Spiritus ſanctus.

Amen.

N. 31

INI